

**Propemticon inaugurale de vapore carbonum fossilium innoxio / [Friedrich Hoffmann].**

**Contributors**

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1695]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yv5ygchs>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

FRIDERICI HOFFMANNI, D.  
MEDICI ET PROFESSORIS REGII  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
h. t. DECANI,  
*PROPEMPTICON INAUGURALE*  
DE  
VAPORE CARBONUM  
FOSSILIUM INNOXIO.



F. f!



Tupenda providæ naturæ solertia & vigilantia est in dispensandis bonis suis pro conservanda & custodienda mortalium felicitate. Justissime & ex æquo beneficia sua undiquaque distribuit, adeo ut, quod uni regioni vel terræ

negatum, illud alia benignitate passim compensetur. Sæpius externo terræ cortice & ambitu, quod non continetur ex interiori ejus sinu, abundantissime peti & deponi potest. Sic in frigidioribus & montanis locis soli sterilitas divite metallorum vena pensatur, & ubi sterilitas soli visitur, ibi parcior metalli est proventus. Hoc quoque in cœteris obtinet. Lignis ad varias necessitates vitæ eget homo, quæ tamen ubi non exterior terra suggerit, interior combustibilem materiam loco horum largissime concedit: fosfiles intelligo carbones, qui non tantum in Anglia & Scotia, ubi rarae sylvæ & parciora ligna, proveniunt, verum etiam nostro in districtu, ubi lignorum penuria, reconditi sunt. Namque notissimum est, quanta in copia quanta bonitate & præstantia ex agris Wettinenibus jam effodian tur, ut palmam dubiam cœteris omnibus jam dum notis, facere queant. Nolo hoc loco ulterius in illorum generationem, varietatem & utilitatem, quam præstant maximam, inquirere; utpote, quod ad aliud tempus tra-

tractandū rejicimus, sed impræsentiarum attigisse saltim suffecerit, an illorum vapor humanæ naturæ infensus & pernicialis esse queat? Constat, quid vulgus physicorum sentiat de illis; hi in carbonibus nostris vaporem damnum & arsenicalem, deleterium in culpam trahunt. Meretur hæc res exactiori rationis & experientiæ, quæ præcipua veritatum physicarum clavis est, lance æstimari, sic de facili patebit, injuriam hanc esse naturæ & ejus benignissimo Authori illatam. Primum autem ad oculum illorum elementa chymico igne reclusa demonstrare placet. Nimirum igni commissi fundunt phlegma, postea spiritum sulphureum paululum acrem, succedit oleum subtile, postea crassius fundum petens, denique vehementiori ignis tortura exprimitur acidulum quoddam sal instar salis succini: Relinquitur nigra terra levis, quæ ignita non amplius inflammatur nec ullam emittit flamمام aut fumum. Horum indolem explorandi causa quæ instituerim experimenta breviter strictimque proponam. Spiritus qui destillatur prodit albus, temporis successu rubicundo bruno colore tinctus appetet, quod phænomenon in spiritibus lignorum, tartari, myrrhæ & quæ sunt generis alia, etiam observare licet. Affuso spiritu acido salis, bullulæ statim plurimæ fundo vitri adhærebant, quæ deinde velut scaturientes sensim ac successivè ad superficiem liquoris ascendebant sine notabili tamen mixturæ perturbatione: Instillato spiritu nitri, major conflictus majorque apparuit liquoris turbatio. A calce viva spiritui huic sufficienter injectâ, protinus spiritus volatilis nares forti odore compungebat. Post admotum mixturæ huic spiritum nitri, statim densus albus fumus prodibat, quod jucundo spectaculo semper observavimus, quando spiritum nitri applicamus salibus vel spiritibus volatilibus. O-

leum fœtidum mixtura & impastione intimiori cum sale tartari, identidem odorem salis volatilis exspirabat: de stillatione mixtura hæc largiebatur spiritum alcalinum volatilem oleofum, qui syrupo violarum viridisimum statim induebat colorem more omnium alcalinorum; Cum acido commixtus hic spiritus, promptius effervescebat, & statim tingebatur colore exactè rubicundo. Oleum crassum carbonum empyrevmaticum, quod prima de stillatione obtinebatur, sulphureum odorem exspirabat. Argenteo cochleari injectum, mox leni accedente calore, illud obscuro nigricante colore obducebat, luculento indicio, sulphur verum minerale in illo solutum latere; namque sulphur vulgare in terebinthinæ oleo resolutum eodem colore imbuere solet vasa argentea. Sal illud acidulum illi, quod ex succino destillatur, valde affine ad mixturam olei tartari per deliquum fit: spiritus salis ammoniaci bullulas excitabat perlatas copiosissimas in fundo vitri sese colligentes: Mox autem mixtura antea limpidâ rubineum colorem induebat, superfuso acido recipiebat suum pristinum limpидum nitorem. Rarum visu hoc phænomenon est acidum ab alcali sic tingi. Causam hujus phænomeni ulterius explorandi ergo sal succini sic dictum volatile, quod homogenum nostro sali censebam, solutum miscebam eodem modo cum spiritu salis ammoniaci vinoso, sic prævio conflictu mixtura paucò elapsò tempore elegantissimum ex bruno rubicundum colorē capiebat exsurgente medicamento laudatisimarum virium certantium cum ipso spiritu cornu cervi succinato. Hæc sunt præcipua quæ ad evolvendam naturam lithantracum instituebam experimenta; ex quibus liquido constare arbitror, nullum hic reperiri deleterium principium, nullum infensum mixturæ sanguinis vel

par-

partibus tenuissimis corporis nostri, nihil arsenici vel mineralis noxii h̄ic subesse. Sulphur minerale quod concernit, non tam nocivum est ut vulgo creditur, testantur id illi homines, qui præparationi fusioni & coctioni sulphuris Goslariensis inserviunt, qui satis vegeti respectu aliorum metallicorum degunt: nec etiam tanta in copia in nostris carbonibus sulphur hoc latitat, alioquin facile sicco modo in forma florū per sublimationem prodiret. Sunt nimirū carbones hi minerales terra rara & spongiosa succo bituminoso subterraneo copiosissime & intime imprægnata. Bitumen anima illorum est, sine quo necflammam nec fumum concipiunt. Bitumen autem more aliorum non secus ac omnes bituminis species, ad quas succinum spectat, ex partibus oleofis sulphureis acidulis nec non alcalicis tenuibus constat; uti chymica resolutio succini, bituminis Judaici, naphthæ, petrolei & omnium resinosorum corporum, id luculenter testatur. Cernimus hæc principia nullo modo succis nostris vitalibus infesta, sed quæ nimias humiditates exsiccando defendere sanguinem & corpus possunt à corruptela & putredine. Virtus quippe balsamica teste Galeno propria est omni bitumini. Insuper bituminosa omnia accensa, aeris via emendare & humiditates nimias dissipare ab omnibus fermè medicis creditum hactenus est. In ipsa peste morbisque contagiosis ad depurandum aerem, pice, sulphure, asphalto veteres usi fuerunt. Jam dijudicandum relinquo omni prudenti & cordato medico, an tales vaporess bituminosi, sulphurei particulis volatilibus alcalinis stipati, quales exhalant accensi lithantraces, atmosphærā nostrā Hallensem (quæ manifesta salfugine, genuino scorbuti elemento nec non affluente humido ex Salæ fluvio in ingentes rivos diffuso surgente tincta ac imbuta

est,) inficere & corrumpere queant? Ab accensis succini  
fumis, aerem vappidum stagnantem depurari, ventilari  
& præcipitatis impuritatibus ad respirationem aptiorem  
reddi, vulgo notum est. Instantiam equidem audio, bi-  
tumen nostrum fœdū quid obolere, quo natura & spiritus  
abhorrent. Enim verò fœtida licet delicioribus naribus  
non semper sint accepta, naturæ tamē non statim sunt ad-  
versa. Spiritus fuliginis, lumbricorum, cornu cervi fœti-  
dissimi quantum præstent in erigendis viribus, corporis  
nostris spiritibus inq; sanguinis humorumq; mixtura con-  
servanda, & vulgus medicorum satis novit. Nec vapor  
ille tam gravis ac molestus est, si rarus divisus ab aere  
interludente diffunditur. Uti autem a nimia halitus etiam  
salubris copia aut densitate: sic quoque à vapore illo den-  
sato & copioso incommoda proficiisci posse mihi quidem  
persuadeo, quod tamen non adscribendum est noxæ va-  
poris, sed potius copiæ, & hic satis est causæ quare in An-  
glia (ubi præter aeris crassi falsi usuram ciborum & potus  
spirituosi ingluvies est) atmosphæra vaporibus carbo-  
num fossilem refertissima nocere & ariduram pulmo-  
num & corporis inducere queat, quod neutquam carbo-  
nibus sed vaporum densitati adscribendum & id faceret  
aer effluviis saluberrimis confertus. Nec majoris mo-  
menti illorum instantia est, qui vaporem hunc minus  
convenire illis iudicant, qui nervorum & capitis debilita-  
te laborant. Notum namque est illos nec suaveolentia  
impune ferre posse, sed mirum ab illis lædi, Consuetudi-  
ne tamen longiori ipsos nervos firmari talismodi vapo-  
ribus posse, quo minus ulterius lædantur, Praxis medica  
docet. Hæc sunt quæ de vapore carbonum fossilem,  
mea sententia innoxio præfari volui occasione Disputati-  
onis Inauguralis De MORBIS METALLICIS quam

*Clarissimus & Experientissimus DN. HENNINGUS  
JOH. SIEMENS* habebit, de cuius honestis natalibus,  
moribus inculpatis naturæ bonitate & studiis laudatissi-  
mis, pro more recepto quædam commemoranda sunt.  
Natus hic est Goslariæ in urbe imperiali satis celebri minera-  
lium varia copia commendatissima ante quinque & viginti an-  
nos. Patrem habet optimum & integrum Virum qui apud  
omnes bonos bene audit **STEPHANUM SIEMENS,**  
**SERENISSIMI ELECTORIS ET DUCUM BRUNSUI-**  
**CENSIVM Monetarium fidelissimum;** Matrem vero **MARI-**  
**AM ex honesta WOLTERORVM familia oriundam.**  
Horum parentum cura & indefesso labore honestè & liberè e-  
ducatus est & præcipuis doctrinæ Christianæ fundamentis ja-  
Etis, informatione præceptorum scholæ Goslariensis fidei  
præcepta elegantiorum morum & primæ literaturæ animo  
combibit necessaria. Ætate cum accreverit, missus Halbersta-  
dium est, ubi in schola Martiniana satis celebri in literis felici-  
ter profecit. Profectus deinde Berolinum Gymnasium undi-  
quaque celebratissimum ibi frequentavit ubi ductu *Præclarissimi*  
& *Celeberrimi Philologi* **DN. JOHANN. BODIKERI**, nec  
non **Viri laudatissimi, M. JOHANNIS PAMBI**, tunc  
*temporis Correctoris jam Inspectoris Ecclesiarum Furstenwaldensium*,  
hujusq; *Dignissimi successoris* **DN. ROTARIDI** *Ungari tri-*  
*ennium arrectis auribus*, hianteque ore humaniora studia &  
quicquid est elegantioris literaturæ doctrinæque hausit, nec  
non Philosophiæ solidioris fundamenta imbibit, ingenio ad di-  
sciplinas has aptissimo, hujus tanto maiores progressus fuere,  
quanto doctiores studiorum suorum ductores habuit. Instructus  
sic necessariæ eruditionis thesauro adiit Lipsiensem celeberrimam  
Academiam & iucensus amore studii medici ad quod à  
primis ferme annis ferebatur, concredidit primum sese fidelissimæ  
curæ & manuductioni *Excellentissimi* **DN. AUGUSTI**  
**QVIRINI RIVINI** *Physiologiae & Botanices Professoris famige-*  
*ratissimi, Fautoris & Amici nostri honoratissimi* cuius informatio-  
nem in Physicis Botanicis Anatomicis & praxi singularem lau-  
dibus & encomiis veneratur mirificis. Præter hunc audivit  
quo-

quoq; solerti animo *Consummatissimum Lipsiensium Anatomicum, Excellentissimum BOHNIA* de febribus & morbis ventriculi solidè & copiosè commentantem. Ejus quoque sectionibus cadaverum accuratissimis privatissimè interfuit. Nec reticere potest *Experientissimi D. PETERMANNI* manuductionem, qui ipsum adjuvit sectionibus publicis. Præterea collegium *Anatomicum* dirigente *Clarissimo & Excell. DN. PAULI Anatomico accuratissimo* Amico nostro suavissimo frequentavit sedulo. *Clarissimo D. ORTLOBIO* publice cadaver humanum secanti adstitit quoque sedulus. In Metallicis & Chymicis informatorem nactus est *Nobilissimum & Curiosissimum Virum D. SCHAMBERGIUM*. Tandem ad nostram inclytam Fridericianam Academiam accessit sub initium hujus anni ubi indefesso studio & ardore invigilavit arti nostræ salutari. Non solum enim Chymiae experimentalis curiosæ à me tractatæ manus attulit, verum etiam in collegiis practicis & Physicis frequentissimus fuit auditor, opponendo publicè se diligenter exercuit & omne egit ac præsttit quod sedulum gratum & candidum auditorem decet. Exantlatis sic felicissimè laboribus & studiis modestè ab Ordine nostro petiit ut insignia honores Privilegia, quibus egregia nostræ professionis ingenia ornari solent, ipsi conferantur. Primum itaque ad consueta examina omnibus solidam suam eruditionem & peritiam in arte nostra non vulgarem pulehre probavit, ut unanimi decreto dignus hisce honoribus judicatus fuerit. Nihil jam reliquum est quam ut coram tota Academia se sistat & virium suarum documentum publicè edat quod proximo die XI. hujus mensis fiet, dum me dirigente disputationem Inauguralem solide elaboratam de MORBIS METALLURGICIS philiatorum omniumque examini submittet. Ad quem auctum MAGNIFICUM UNIVERSITATIS PRO - RECTOREM, ILLUSTRISSIMOS MOECENATES ET CIVES, ACADEMIAE PROCERES EXCELLENTISSIMOS, MAGISTRATUM hujus Civitatis gravissimum Generosos & florentissimos Cives nostros omnesque, qui studiis nostris favent, quâ convenit veneratione, reverentia, officioq; invito atq; exoro. PP. Halæ Magd. die XIV. Sept. An. MDCXCV.